

contingit, *Cass. Probl. 44. p. m. 18.* ob caloris recessum à capite, qui movere solet humores, hi dum expelluntur, Sternutationem excitant. *Aristot. Secd. 33. Probl. 11.* Ejusmodi plura qui desiderat, evolvat Autores, qui de Sternutatione prolixè scripserunt, si Curiositati ulteriori omnimodè satisfaciant.

[*Ex Litteris d. 29. Januar. Ann. 1672. ad D. Henr. Vollenad. Vratisl. datis.*]

Observatio CXXXIX.

D. JOHANNIS PATERSONII HAIN

DE

DRACONIBUS CARPATHICIS.

**D**E Ungulâ Draconis quod scribit T. Cl; quam ab Ill. Domino Marechalco Lubomirski, olim Patrono meo Clementissimo habet, existimo, illum Dominum malè fuisse informatum. Ante septem annos VVarsoviam misi Osla plurima Draconum Ill. D. Capitano Sipasiensi, Filio Ill. D. Marechalci: caput integrum, cervicem, femora, tibias, & plantam; quam in metatarsum tarsum & digitos dispescere licet, nam ordine illa ossa se insequuntur, in fine adhærebant unguës tres, urinos superantes longè & magis incurvati; grandes & tali ubi inserti erant, nam lac Lunæ ista magnâ ex parte texerat, & debebat cautè amoveri. Ossa femoris pingvia videbantur, ac si oleo essent uncta.

Integrum Sceleton rusticus ille, qui cavernas Draconum frequentat, attulerat Ill. D. Comiti Rakoci Ladislay, junioris Draconis, quod si rectè memini, ulnarum nostratium erat sex, Cervix non magna, sed robusta, homoplatæ crassissimæ, in caudâ habebat (nam ita rusticus ossa inter se disposuit, prout reperit in cavernâ) ossa parva sex, sequialterius spithamæ, quamvis deficerent in magnitudine unum par post alterum; ad formam ossis brachii orbitæ oculorum magnæ. Invenit illa ossa in speluncâ profundissimâ & longissimâ non procul à claustro Carthusianorum ad flumen Dunajec sito: dixit rusticus magnam ibi ossium copiam reperiri, sed lacte Lunæ (Stein-Milch) obruta esse, quod continuò ibi ef-

fuit ex rimis antri, & propter lac Lunæ non posse benè erui ossa. Ven-  
 debat ille ossa hinc inde contracta, contra Epilepsiam: Sudorem in ma-  
 lignis potenter movere ea, præsertim dentes, compertum habeo. In mon-  
 tibus Carpathiis speluncam ferè plenam ossium haberi, affirmarunt illi, qui  
 ibi oves pascunt in æstate. Et credo bestias illas unam super alteram emorid  
 est, posteaquam jam lassæ à morbo refrigerium querit, scandit super ossa ja-  
 centia, ubi per lacunas & vacuum ventus subit, sic animal refrigerat, ut  
 tandem ibi moriatur, cumulumque reliquorum ibi mortuorum augeat.  
 Femur illud sesquialteram ulnam nostratam æquabat. Oportet igitur  
 grande esse animal. Speluncæ profundæ frigidissimæ. Noctu dicitur  
 exire bestia, interdum latere. Dentes molares valdè attriti, uti & canini,  
 quales duos Tibi mitto. Inde liquet, quòd in comminuendis Ossibus  
 animantium frequenter occupentur: Oves, capras, dum ibi per æstatem  
 morantur, ac Ibices nocturno tempore venantur, tum ursos, tum quicquid  
 antra illorum subit. Fabula hæc circumfertur, Italum aliquando ad an-  
 trum venisse, & magicis artibus eduxisse Draconem, huic postea insedisse,  
 & per aëra latum abiisse. Ut autem Curiositati Tusæ aliquam ratione satis-  
 facerem, misi ad illum Rusticum studiò, & quicquid invenire apud illum  
 Ossium potuit, coëmi & transmitti, in Scriniolo, ubi invenies 1. Tibiæ  
 os ex pede anteriore, & alterum tibiæ os ex pede posteriore majoris Dra-  
 conis. 2. Ossicula ex plantâ Draconis septem ubi tarsi & digitorum quæ-  
 dam filo ad invicem colligata invenies. 3. Os Ischium junioris Draconis.  
 4. Vertebrae sex, duas majoris, quatuor minoris Draconis. 5. Maxillas  
 duas cariosas minoris. 6. Cranium junioris bestię, & alia quædam, ubi  
 adhuc lac lunæ adhærere invenies.

[*Ex Litteris D. Sachs à Leuvenbraimb destinatis d. 29. Jan. 1672.*]

*Idem Dn. D. Patersonius in aliis, d. 2. Decembr. 1671. ad Eundem D. Sachs  
 his verbis confirmat indubiam fidem de Draconum existentia:*

De veritate rei, quod concernit Dracones nihil dubitandum. Est  
 hæc maxilla junioris animalis superior præcisa cum pelle, naribus, pa-  
 lato, dentibus caninis, apud quendam &c. de toto sceleto sui solli-  
 citus, sed rusticus petit 30. Imperiales pro eo &c. *Plura de hisce Draco-  
 nibus infra Obs. 194. legi poterunt.*

## FIGURÆ EXPLICATIO.

N. 1. Os Pedis anterioris sinistri primum s. scapulæ proximum, quoad utramque faciem, sine dubio bestię majoris.

N. 2. Os pedis anterioris dextri idem cum priore, bestię fortassis junioris. a. Foramen.

N. 3. Os Ischium.

N. 4. Maxillæ inferioris dente canino instructæ, sed aliquomodo cariosæ secundum utramque faciem.

N. 5. Cranii quodammodò cariosi remotis maxillis inferioribus superior & inferior facies.

N. 6. 7. 8. 9. Vertebre quatuor.

N. 10. Officula Tarsi ac digitorum.

## Observatio CXL.

## D. GEORGII VVOLFGANGI VVEDELII

DE

## SCABIE EPIDEMICA FELIUM.

**E**leganter Homerus *l. 1. Iliad.* pestilentiam refert à pecudibus esse inchoatam: quando morbus, antequam in homines posset irrepere, facilius captis pecudibus incubuit, ceu loquitur *Macrobius l. 7. Saturn. c. 5. p. 520.* Prout enim aër impurior hujus vel illius animalis speciei temperamento est contrarius, ita unum sæpè epidemicis tentatur & perit morbis, alterum sine ullâ contagionis lue servatur incoluine, unde non rarò observata est pestis ovium, boum, anserum, canum, &c. Neque verò ob Temperamenti solùm dispositionem seu *ιδιοσυγκρασίαν*, talis modi animalia bruta corripit lues; sed etiam, veluti elegantissimè *Enstathius Comment. in l. 1. Iliad. p. m. 31.* scribit, *ὅτι τὸ ἐγγυτέρω εἶναι τῷ πρῶτον παθῶν αἶρος, καὶ ἰσθὺς μεταλαμβάνειν αὐτῆ τῆ κάτω πρὸς τὸ γῆν νεῖσεν,* quod propiores quasi sint primum affecto aëri, illumque citius prono ad terram nutu hauriant.

Pertinet huc Scabies Epidemica felium, quæ à duobus annis in